



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An per votum simplex castitatis dirimantur præcedentia sponsalia de futuro?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An, & quo jure votum solemne castitatis per professionem, matrimonium postea inustum, dirimat, & an etiam votum simplex castitatis impediatur matrimonium, atque dirimat.

Quod votum solemne castitatis in religione approbata per professionem emissam, irritum reddat matrimonium subsequens, & consequenter tale votum impedimentum dirimens sit, ex Trident. L. cit. habetur, & ex c. *Meminimus* 3. h. t. ex quo cap. etiam habetur, quod votum simplex castitatis (qualia sunt vota quaecumque castitatis, quae non sunt professio religiosa, aut ordini sacro annexa) aut solum votum ingrediendi religionem ex jure communi non sint impedimenta dirimentia, sed contractum cum talibus votis matrimonium, quamvis contrahens peccaverit, validum sit, prout etiam habetur in c. *Rursus* 6. h. t. cum impedimenta matrimonii velint odiosa extendenda non sint ultra juris (saltem positivi) constitutiones, & hinc per solam habitus regularis, etiam Professorum assumptionem, non impeditur, quo minus validè matrimonium contrahatur, uti habetur ex c. *Consultis* 4. h. t. si sine promissione alicujus ex substantialibus ordinis approbati fiat: quamvis enim votum simplex, & votum solemne castitatis ex natura rei non differant, differunt tamen ex Ecclesiae con-

stitutione, cum huic annexum sit impedimentum dirimens matrimonium a jure Ecclesiae, non autem illi, ut constat etiam ex c. *uni*. De voto in 6. Religiofitamen Societatis ex speciali constitutione Gregorii XIII. etiam per vota simplicia impediuntur, quo minus validè matrimonium possit contraahi, quia simplicia contrahant.

§. III.

An per votum simplex castitatis dirimantur praecedentia sponsalia de futuro?

EX dictis ferè jam patet responsio, quod enim ob votum simplex castitatis praecedens sponsalia, nulli hæc sine postmodum contracta, ex eo patet, quod sint promissio de re illicita, alteri iam obligata, & consequenter nulla sunt. Quod autem ex parte alterius, qui votum non fecit, solvantur sponsalia, altero votum faciente, mutatio notabilis facta, quod fidem non teneat ei servare, quod datam mihi fidem non servavit, uti autem ex parte etiam voventis praeter sponsalia dissolvantur, in utraque partem probabiliter disputatur, & affirmativa pars videtur etiam probari posse ex eo, quod fides DEO data per votum simplex castitatis videatur praeteranda fidei, alicui homini per sponsalia de futuro data. Negativa tamen sententia, quae probabilior videtur, probari etiam potest ex c. *Veniens* 5. h. t. & ex eo, quod Deus non acceptet tale votum in praesens, si prius sponsalia fuerint.